



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Quid sit supplicatio, & quomodo ab appellatione differat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ad Iudicem superiorem causam v. g. deferret. Causæ autem, ob quas appellationis remedium introductum est, sunt plures. Prima est, ut gravamen iniquè illatum removeatur. Secunda, ut iniquitas, seu imperitia Iudicum corrigatur. Tertia est, ut læsus per propriam ignorantiam, vel negligentiam jus suum consequi possit, & hinc appellatio propriè dicta, quoad substantiam, est juris naturalis, quia est præsidium innocentiae, quoad formalitates verò, seu solemnitates appellationis, est juris positivæ.

§. II.

*Quid sit supplicatio, & quomodo ab appellatione differat?*

Supplicatio propriè & strictè dicta, sicut in hoc titulo accipitur, aliud non est, quàm humilis petitio, per quam allegat læsionem, sive gravamine, à Principe v. g. petitur, ut sententia lata contra supplicantem, ex mera gratia & benignitate Principis retractetur; cum enim ordinariæ appellationis remedium huic fortasse non competat, æquum videbatur, ut extraordinario remedio supplicationis ei succurratur. Differt autem ab appellatione primò, quòd appellatio suspendat executionem sententiæ, non autem supplicatio strictè dicta, (quæ cum meram gratiam quærat, executionem impedire non debet) sed cautio ab eo, pro quo lata est sententia, præstari debet de restitutione faciendâ, si supplicans causam obinebit. Secundo differunt inter se appellatio & supplicatio hæc, quòd appellatio fieri debeat intra decem dies à lata sententia, supplicatio autem institui potest usque ad bien-

nium, ita tamen ut si non fiat intra decem dies, sed intra duos annos, executio sententiæ fieri possit, etiam nullâ præstitâ satisfactione. Tertio differunt, quòd appellatio fiat ad Superiorem Iudicem; supplicatio verò plerumque ad eundem Iudicem, Principem v. g. qui sententiam tulit. Quarto differunt, quòd appellatio sit remedium ordinariæ in iustitia fundatum; supplicatio verò sit remedium extraordinarium in gratia Principis, cui supplicatur, fundatum, &c. posterioribus tamen his temporibus beneficium revisionis ad exemplum supplicationis, introductum est, ita tamen, ut etiam revisio hæc, à vera supplicatione differat, quæ non suspendit executionem sententiæ, ut dictum, cum tamen revisionis beneficium suspendat executionem sententiæ, donec causâ cognitâ constare possit, rescindendam sententia sit, an confirmanda, vel reformanda.

SECTIO II.

*De iis, qui appellare possunt?*

§. I.

*Quibusnam in genere appellare permissum sit?*

Appellare potest, non tantum ille, contra quem sententia lata est, sed quilibet alius, cujus interest ex aliqua causa, non ita fuisse judicatum, etiam si iudicio non intervenierit, ut ex dictis jam patet, ita ut non tantum suo nomine, sed alieno etiam nomine appellare possit

CCC 2

possit